

Aeschyliae Septem ad Thebas Parodum quum viri multi totam redigere in strophas et antistrophas essent periclitati, Godofredus Hermannus alteram carminis partem antistrophicam esse censuit, priorem vero *ἄλλοιόστροφον* esse oportuisse, ut in magno repentinoque tumultu. Quam sententiam non probavit neque Carolo Prienio, qui in Museo Rhenano, ubi suum de Hermanniana editione facit iudicium, accuratius de hoc carmine vol. IX p. 224 — 233 disputat, neque Antonio Lowinski eiusdem Musei vol. X. p. 358 — 368 de hac parodo commentanti. Hermannii iudicium de antistrophica ratione, non item de strophis inter singulos choreutas distribuendis ipsi conati sumus tueri ibid. vol. XI. p. 154. G. Dindorfius autem in ea quam de corruptis quibusdam Aeschyli locis a. 1857 scripsit commentationem, cui commentationi omnium Aeschyli tragoediarum omnia verba adiunxit, parodum totam versibus 151 — 162 exceptis *ἄλλοιόστροφον* esse arbitratur. Denique totum hunc locum diligenter excussit Carolus Prienius in dissertatione programmati huius anni Lubecensi praemissa, in qua quum alios huius fabulae locos docte et probabiliter tractavit, tum de parodo ita disputavit, ut etiam ubi dissentias, tamen rectum iudicium probabilemque argumentandi rationem non desideres, facileque intellegas ex qua sit profectus schola, quamque utiliter sit usus institutione et disciplina Friderici Ritscheli, viri etiam hac ratione vere incomparabilis. Quod utinam iis contigisset, qui hodie tam multi accedunt ad Aeschylum emendandum, ut periti magistri scholis instituti multumque exercitati tum demum inciperent artem criticam factitare. Nunc autem tanta est imperitorum multitudo criticorum, ut ab horum potius temerariis ineptisque correctionibus Aeschylus

videatur, quam a librariorum vitiiis esse liberandus. Quorum si qui linguae artisve metricae sunt imperiti, facile confutantur, ut qui ante paucos annos Agamemnonem omnis generis vitiiis contaminavit, vel qui nuper eandem fabulam tali decoravit trimetro *φρονρᾶς ἐπειῆς μῆκος δὴ γχοιμώμενος*. Qualia non invitis solum et festinantibus excidunt, sed sunt qui singularem quandam sententiae gravitatem pravitate numerorum esse quaesitam opinentur. Non ita dispar est eorum genus, qui si quo loco in antistrophicis prorsus diversae quamquam eiusdem numeri formae opponuntur, id ferant et commendent tamquam ad affectus exprimendos tum concitatos atque vehementer commotos, tum compositos atque lenes imprimis accommodatum, non cogitantes, quum ea esset antistrophicorum ratio, ut iidem et in stropha et in antistropha ponerentur numeri, curandum fuisse, ut par paribus locis recurreret orationis color, essentque non numerorum formae solum, sed ipsae exaequatae sententiae. Sed et hi et qui similia grammaticorum metricorumque contemnenda esse arbitrantur fastidia, ipsi videant ne contemnantur: illorum multo est difficilior refutatio, qui ita se gloriantur in Aeschyli ingenium insinuasse, ut Aeschyliae dictionis cognitione imbuti et quae libri non habent divinando assequerentur, et quae habent exterminarent. Qui si pergunt ut coeperunt in indagandis expellendisque interpolationibus, mox pauci relinquuntur versus, qui quidem certo Aeschyli esse videantur. Mihi vero immunis esse liber Medicus ab eiusmodi interpolationibus videtur, quas dedita opera adiecerit librariorum industria, qualem vel in optimis Euripidis libris deprehendas, ideoque, ut hoc unum hic afferam, non possum veram habere Dindorfii sententiam, quamvis speciosam multisque viris doctis probatam, qui Agamemnonis versum 286 *φρονρᾶ πλέον κατοῖσα τῶν εἰρημέρων* a librariis esse confectum, Aeschylum vero eum posuisse censet quem Hesychius servavit (*φρονρᾶ*) *προσαυθρίζουσα πόμπιμον φλόγα*. Quam emendationem ne commemoratam quidem esse in editione nostra quod Schwerdtius Quaestionum Aeschylearum p. 23 miratur, non meminuit eam esse huius editionis rationem, ut ea scripturae discrepantia notata sit sola, qua recessum est ab Hermanniana recensione. Omnino Hesychii glossae tametsi utilissimae sunt, si quis recte iis uti scierit, saepius tamen ad locos corrumpendos sunt adhibiti quam restituendos. Veluti G. Dindorfius in commutatione illa quam supra commemoravimus p. LIV, ut non paucorum Aeschyli locorum emendationes ostendat ex Hesychii glossario esse petendas, tria quum afferat exempla memorabilia, horum primum, quod ex ipsa hac de qua disputamus fabula petitum

sit, exempli causa hic consideremus. Loquitur ibi Chorus de Laio in hunc modum v. 731 sqq.

κρατηθεὶς δ' ἐκ φίλων ἀβουλίαις
 ἐγένεατο μὲν μόρον αἰτιῶ,
 πατροκτόνον Οἰδιπόδαν,
 ὅστε μὴ πρὸς ἀγνάν
 σπείρας ἄρουραν, ἴν' ἐτράφη,
 ῥίζαν αἱματόεσσαν
 ἔτλα παρόνοια συνᾶγε
 νυμφίους φρενόλεις.

Hic quum primo versu in Mediceo scriptum sit ἀβουλίαν, id in ἀβουλιᾶν esse convertendum censet, tertio versu ματρός, quod in codice exstat, revocandum, μη πρὸς enim esse perineptam et absurdam coniecturam a manu recentissima margini codicis additam, sexto versu non ἔτλα poetam scripsisse, sed ἔφλα, servatum ab Hesychio: ἔφλα· ἐμάλασσαν, συνεμίσγετο, συνῆν, constructionem autem verborum sic esse instituentiam: ἔστε ματρός ἀγνάν σπείρας ἄρουραν ἔφλα, interpositis extra constructionem, effectus significandi caussa, accusativis ῥίζαν αἱματόεσσαν, qui frequens sit liberior accusativus, velut Agam. v. 225 ἔτλα δ' οὖν θυτὴρ γενέσθαι θυγατρός, γυναικοποιῶν πολέμων ἀρωγὰν καὶ προτέλεια ναῶν. Verum κρατηθεὶς ἐκ φίλων ἀβουλιῶν quid sit, neque nobis patet et vix, credo, intellexissent veteres Athenienses, quos Dindorfius ipse moneat nullos dum habuisse philologos interpretes. Et quod φίλων, non φίλᾶν dicit, intellegendum esset ἐκ τῶν τῶν φίλων ἀβουλιῶν, quod Aeschylus sine dubio dixisset ἐκ φίλων ἀβουλίαις. Neque verum est quod Dindorfius dicit ἀβουλιᾶν scholiastam legisse recteque esse interpretatum ἐπὶ τῶν αἰτιῶ φίλων ἡδονῶν. Pergit enim scholiasta ἢ ἀντὶ τοῦ τῆς γυναικός, κρείσσω γὰρ τὰ πάθη τῶν λογισμῶν. Hic qui explicat ἀντὶ τοῦ τῆς γυναικός, eum non coniunxisse φίλων ἀβουλιῶν certissimum est; sed scholiastis incertum est, φίλων masculinum sit, ut alter putat, qui Iocastam dici recte existimat, an neutrum τὰ φίλα, hoc est αἱ αἰτιῶ φίλα ἡδοναί, ut prior explicat ἐπὶ τῶν αἰτιῶ φίλων ἡδονῶν· κρείσσω γὰρ τὰ πάθη τῶν λογισμῶν, „besiegt durch die Verblendung der Lust.“ Itaque φίλα ἀβουλίαι nullo modo hic ferri possunt, illud incertum est ἀβουλίαις, an quod probabilius videtur ἀβουλίαις a poeta sit profectum. Sed hoc non pertinet ad eam quam hic agimus rem, illud dicimus egregium hunc locum summaque arte compositum recepto illo ἔφλα et ματρός mirum in modum corrupti. Nam ut omittamus, posito ματρός inutile esse ad-

ditamentum *ἔν' ἐτράφη*, perversamque videri eiusmodi orationem *σπείρας ἔφλα ἄρουραν ῥί-
ζαν*, ut *ῥίζαν* effectus sit accusativus: ipsum illud *σπείρας ἔφλα* non decenter concubi-
tum depingit et *φλᾶν γυναικὸς ἄρουραν* sine dubio obscœne est dictum ut *σποδεῖν* et
similia, ut comoediam hoc vocabulum deceat, non tragoediam. Tali igitur modo non
videtur Aeschylus esse emendandus, et quamquam glossis nihil frequentius est in libro
Mediceo, tamen periculosissimam arbitramur esse eam rationem, quam idem Dindorfius
Philol. vol. XII. p. 584 commendat, tutissimamque eam emendandi viam, qua proxime
ad literarum ductus in codice exhibitarum accedimus. Quamquam hic quoque cautione
opus est et iudicio, neque literarum similitudo sola spectanda, sed ipsorum vocabu-
lorum ratio et significatio, sententiaeque conformatio consideranda. Saepe enim quae
facillimae esse mutationes videntur, re vera sunt violentissimae. Qua quidem in re
quam facile peccetur exemplo quodam docebo, quod ego non consilio eligam tamquam
imprimis insigne, non viri alicuius aut auctoritate commotus aut offendendi libidine
concitatus, sed ex multis unum afferam et casu oblatum et ad id ipsum quod hic
agimus satis accommodatum. Nam quum hoc ipso quo haec scriberemus tempore no-
vissimus eorum quos Muetzellius, vir doctissimus, edendos curat diurnorum de rebus
scholasticis commentariorum fasciculus nobis esset allatus, in disputatione illa quam
Lowinski de Aeschyli quibusdam locis instituit, Prienii vidimus emendationem refutari
de versibus 766, 767 prolatam, quorum quum haec esset scriptura vulgata:

*τέκνοις δ' ἀραίας
ἔφῆκεν ἐπικότους τροφᾶς
αἰᾶ, μικρογλώσσους ἀράς*

hariolari Antonio Lowinski est visus Prienius, qui non solum *ἀραίας* in *ἀθλίαις* con-
vertisset, sed etiam *ἐπικότους τροφᾶς* in *ἐπίκοτος τροφᾶς* mutasset. At *τροφᾶς* qui in *τρο-
φᾶς* convertit, a contestata recedere veteris memoriae fide non est censendus, ne in
iis quidem libris, quorum docti alicuius grammatici recensionem habemus: ita enim non
testimoniorum spernimus auctoritatem, sed grammatici quamvis docti opinationi nostrum
recte opponimus iudicium. In Mediceo autem libro ab homine imperito scripto quum
accentus saepissime aut omittantur aut falsi ponantur, multo etiam minus, *τροφᾶς* au-
τροφῶς sit verum, a grammatico illo discemus, sed nostro ipsi dispiciemus iudicio.
Eadem fere ratio est alterius mutationis *ἐπίκοτος*, quod quum in vetere libro invenisset
librarius, qui singulorum et proximorum verborum structuram potius spectare quam to-

tius enuntiationis soleret, eo ἐπικότους significari ut existimaret, verborum illorum conjunctione ἐφῆκεν ἐπικότους τροφᾶς facile est adductus. Hae igitur mutationes quum facillimae sint, tum eo minus hariolationes dicendae, quod scholiastae ad Sophoclis Oedip. Col. v. 1375 confirmantur testimonio, qui aperte τροφᾶς, et ut nobis quidem videtur, etiam ἐπίκοτος legit. Denique Prienius ἀραίας una mutata litera in ἀθλάς esse convertendum censet, quam emendationem quamquam non probamus, quomodo tamen dicere hariolationem is potest, qui quum ἀραίας in ἄρεως mutat, ipse insigniter hariolatur. Hoc est enim illud, quod intellegi volumus, quae specie facillimae videantur esse mutationes, eas toto genere spectatas reperiri esse violentissimas. Sic quum literas α et ε, α et ω saepissime invenias permutatas, ut facile potuisse ἄρεως in ἀραίας corrumpi existimes, tamen ne minimam quidem illa emendatio habet probabilitatis commendationem, non solum propterea quod duo diversi generis vitia in uno commissa vocabulo statuuntur, sed quod praeter singularum similitudinem literarum ipsius quoque vocabuli est habenda ratio, quod hic tale est, ut qui tandem sive oculorum, sive aurium vitio ἄρεως potuerit in ἀραίας corrumpi, minime appareat. Et ut ne incredibilia quidem fieri non posse concedamus, in arte critica consentaneum est veri similia sequi, nisi forte certis quibusdam rationibus quodammodo coacti ad illa quoque trahimur. Quae hic quidem nullae sunt, nam sententia ne admittit quidem illam correctionem, quum neque execrationes apte dicantur τροφᾶς, neque de alimentis recte positum sit ἐφῆκεν. Sententiarum ordo quid flagitet, iam ante hos viginti tres annos docuit G. Hermannus in ea quam de Aeschyli trilogiis Thebanis scripsit commentationem, quem secuti sunt qui novissime de huius trilogiae compositione disputaverunt, eandemque viam recte ingressus est Prienius. Oedipum Chorus narrat omnium beatissimum fuisse, cognito vero infelici coniugio duplex perpetrasset malum, nam et oculos sibi effodisse et esse filios execratum. Et oculis quidem se privavit ea qua patrem interfecerat manu, πατροφόνῳ χερσὶ, filiis vero diras est imprecatus, quod ex incestu erant procreati. Itaque apparet, quam apte liberorum τροφή dicatur ἀραία, ut corrigendum sit: ἀραίας τέκνοις δ' ἐφῆκεν ἐπίκοτος τροφᾶς, αἰαῖ, μικρογλώσσους ἀράς. Summa vis inest in ἀραίας vocabulo, quod eodem modo quo πατροφόνῳ χερσὶ initio recte est positum, eademque de causa, quod ipso genere liberi sunt ἀραῖοι, ἀράς iis imprecatur καὶ σφε λαχέιν, ut pro eo quod incesti sint, etiam intereant.

Sed quid ego in his commoror exemplis afferendis, quum ipsa Parodus ita sit

novissimo tempore tractata, ut ars critica quomodo non sit exercenda, hoc quidem exemplo disci optime possit. G. Dindorfius enim in ea, quam iam saepius commemoravi commentatione, ut librariorum correctorumque veterum negligentia et temeritas amplioribus quibusdam exemplis in clara luce collocetur, et Agamemnonis carmen choricum et hanc parodum accuratius interpretatur, qua interpretatione simul ostendere conatur, tot esse in codice Mediceo, quamvis descripto ex libro vitiosissimo, relicta verae scripturae vestigia, ut pleraque omnia aut certa aut probabili coniectura in integrum restitui posse videantur. Cuius restitutionis specimen unum aliquod hic afferam. Quum enim versus 145 — 150 ita in Mediceo sint exhibiti:

ὦ φίλ' ἄπολλον.
 κόναβος ἐν πύλαις χαλκοδέτων σακίων
 καὶ διόθεν
 πολεμόκρατον ἄγνόν τέλος ἐν μάχαισι
 τε μάκαιρ' ἄνασσ' ὄγκα πρὸ πόλεως
 ἐπιάπυλον ἔδος ἐπιρρύνου.

qui recepto ὄγκα ὑπὲρ πόλεως et ἐν μάχα. σύ γε et tertio versu ἔ'σσι Διόθεν*) et sententiam optimam praebent et optimos numeros, simulque accuratissime versibus strophicis respondent: Dindorfius eos ita sibi videtur probabili ratione in integrum restituisse p. XXX

κόναβος ἐν πύλαισι δὲ προμυχιζέει χαλκοδέτων σακίων.
 ὦ φίλ' Ἄπολλον, ἔλθ' ἄρωγός πόλει,
 καὶ Διόθεν γένοιθ' ἀμετέρῳ στρατῷ
 πολεμόκρατον ἄγνόν τέλος ἐν μάχα.
 σύ τε, μάκαιρ' ἄνασσ' ὄγκα, προσρύνως
 ἐπιάπυλον πόλεως ἔδος ἐπιρρύνου.

Ultimo vero versui oppositus est strophicus ποῖ δ' ἔτι τέλος ἐπάγει θεός, qui integerrimus et antistrophico diligentissime exaequatus in hunc modum mutatur ποῖ δὲ τέλος προβάς ἐπάξει θεός, quam emendationem, ut id genus alia multa in textum, quem dicunt, recepit, contra exceptis paucis singularum tragoediarum quos corrigere placuit

*) Ita enim esse corrigendum censeo. AI quod non intellexeret librarius, quum ὦ φίλ' Ἄπολλον videret praecedere, in καὶ mutavit, 'σσι autem saepe a librariis omitti nota est res. In versu antistrophico interiectione eicienda est. Librarius enim v. 134 post ἐντεκάζου ad hunc versum aberravit et ἄρτεμι φίλα posuit, et quum ibi ε ε ε ε sequeretur, hic quoque ad illa verba ἄρτεμι φίλα interiectionem addidit.

locis reliqua vel apertissima vitia, quamvis ab aliis multo quam illa probabiliore ratione correcta, tamen intacta reliquit, eam denique exhibuit Aeschyli tragoediarum recensionem, cuius similis neque Aeschylo, neque ulli aut Graeco aut Romano scriptori unquam contigit. Quod eo magis est dolendum, quod tam improbabilis ratio ab eo est profecta, qui doctrinae laude insignis optime de literis Graecis meruit; is enim si talia molitur, quo tandem licentiae et temeritatis tirones putabimus virosque luxurianti praeditos ingenio esse progressuros? Multis sane deformata est haec parodus vitis, et fatendum etiam Prienium nonnulla violenter mutasse, at haec mutationes necessariae erant ad eam, quam sibi animo informaverat, antistrophicam rationem restituendam. Atque alteram parodi partem antistrophicam esse dubitari nequit, de priore res est incerta. Secundum Hermannum altera carminis pars antistrophica a versu 110 incipit, quumque inter primam stropham et antistropham interpositi sint versus 120—124, quibus nihil respondeat, his versibus mesodum effici statuit. Contra ex Prienii ratione, qui ipse quoque duas parodi partes agnoscit, sed antistrophicam utramque, altera a versu 104 incipit, ut versus illi 120—124 iam habeant, quibus ut antistrophicis respondeant strophici 104—109, contra mesodo sublata proodus statuitur unius, primi carminis versus. Iam Prienio strophicam totius carminis responsionem tragicorum, imprimis Aeschyli consuetudo videtur commendare, proodi brevitatis vero et rerum conditione excusari et argumento, contra mesodus neque satis esse apud tragicos usitata, neque in hac argumenti continuatione accommodata, denique non a versu 110, sed a versu 104 alterius partis initium esse statuendum. Verum haec possunt refelli. Nam usus et consuetudo tragicorum, imprimis Aeschyli quid flagitet, in tanta tragoediarum paucitate difficile est certo definire, multaque reperiuntur et in tragoedia et in comodia, quae singularia et sine exemplo sunt consuetudinique videntur repugnare, ut ne causa quidem, cur sit recessum ab usitata ratione, afferri satis probabilis possit. Hic vero causa perspicua est. Nam quum in veteris tragoediae parodis ipsum carmen anapaesti soleant antecedere, hic quoque sine dubio anapaestos tribuisset virginibus poeta, quibus qua de causa se contulissent in arcem exponerent, nisi alia ratio multo fuisset et rerum conditioni aptior et virginum perturbationi: quam rationem optime exposuit Prienius. Chorus igitur ubi hostem appropinquare animadvertit, dicit ille quidem *ῥησούαι*, quasi anapaestis rem nuntiaturus, sed summo terrore correptus relicta narratione quae sedati sit animi, ipse quibus crucietur angoribus numero dochmiaco im-

mis ad turbidos affectus exprimendos accommodato exponit. Hinc sequitur, *θρόμαι* initio fuisse collocandum, neque quidquam hic excidisse, quae est Dindorfii sententia, *νεόκοτα θρόμαι* haud dubie scripsisse Aeschylum arbitrantis. Id ne ferri quidem posse docuit Prienius, qui ipse *θρόμενα θρόμαι* coniicit, quod tametsi multo sane est probabilius, tamen ob eam quam exposui causam minus aptum. Anapaestum aut dochmius sequitur, aut quod nobis placere alio loco diximus, liberioribus anapaestis hic versus *θρόμαι φοβερά μεγάλ' ἄχη* est adnumerandus. Ita prior parodi pars, qua sensim hostem ad urbem accedere spectatores docentur, quum anapaestorum loco posita sit, recte est monostrophica, neque singulae illae perturbatarum virginum voces et exclamationes quaesita numerorum responsione satis apte exaequantur. Mesodi vero, quam non satis usitatam esse Prienius dicit, apud ipsum Aeschylum exstant exempla, ut in Choephoris v. 367, ex quo loco simul apparet, non necesse esse a proximis strophis ipso argumento separetur mesodus, quae cur hic a poeta posita sit, postea apparebit. Nobis etiam minus quam haec mesodus ea quam Prienius statuit unius versus proodus esse probabilis videtur, cuius quum brevitatis nimia est, tum sententiae integritas desideratur. Nam etsi illud non requiritur, ut argumenti diversitate a proximis separetur proodus, sententia tamen absoluta esse debet; hic vero proximo demum versu *μεθεῖται στρατός στρατόπεδον λιπών* quae sint illa terribilia intellegimus, et quum iterum sequatur *ἔει πολὺς ὄδῃ λεῶς πρόδρομος ἱππότης* nobis quidem non videntur hi versus eidem alteri virgini tribui posse. Gravissimum vero est, quod ad restituenda antistrophica nimis multis opus est mutationibus. Quarum nonnullae satis sunt violentae, ut quum v. 123 *ἰχθυόβόλῃ μαχανᾷ Ποσειδᾶν* corrigitur *ἰχθυόβόλῃ μάχα καὶ σὺ Ποσειδάων*. Nam ut *μαχαικαὶ* potuerit in *μαχαναὶ* converti, tamen *Ποσειδάων* formam in *Ποσειδᾶν* vix convertisset librarius, neque *σὺ* legit scholiasta, sed poetae verba *σὺ τ' ὃ Παλλὰς ἔθ' ἱππιος Ποσειδᾶν* recte explicat *σὺ τε, ὃ Ἀθηνᾶ, καὶ σὺ, ὃ Πόσειδον*. Illis vero scholiastae verbis *ὃς ἀνάσσει ἐπὶ θήρῃ ἰχθύων*, non magis *μάχα* quam *μαχανᾷ* commendatur. Nobis quam inde a versu 110 nulla stropha ex solis dochmiis constet, non videtur hic numerus restituendus, sed servata *Ποσειδᾶν* forma corrigendum *μαχανᾷ ἰχθυόβόλῃ Ποσειδᾶν*, quo versu cum dochmiis coniuncto etiam vss. 112. 127 usus est poeta. Deinde eiusmodi formae ut

χθονὸς πάντες ἴδου ἴδετε παρθένων

et

φιλόμαχον κράτος ἑυσίπολις γενοῦ

nunquam apud Aeschylum in responsione opponuntur. Etiam minus in prima carminis parte vss. 79—93 antistrophicorum comparent vestigia, quae non credibile est librarium culpa omnia esse deleta. Nam quum hi versus tere dochmiaci sint, non ita difficile est, si hic dochmium addas, illic eiicias, responsionem restituere, sed ubi alius generis numeri admiscentur, tum ut responsionis indicium aliquod appareat desidero. Sed versus 90 *εὐ- τρεπῆς ἐπὶ πόλιν διώκων* numerus iterum non est positus, quare Prienius *διώκων* eiecit et dochmium restituit; deinde v. 93 dimetro dochmiaco creticus est additus non iterum obuius, itaque dimetros vss. 84, 85 ita mutavit, ut *ποιᾶται* deleteret et *ἕδατος* in *νάματος* converteret; denique v. 86 unus dochmius integer erat addendus. Quae quum ita sint, admodum incerta est huius partis antistrophica responsio, contra in iis quae sequuntur strophis sane concedendum est Prienio responsionis adesse indicia. Sed et de hac parte et de tota huius parodi ratione priusquam exponamus, quoniam coniuncta est cum hac re alia quaestio de singulis strophis inter singulos choreutas distribuendis: ex quot choreutis huius fabulae Chorus videatur constitisse, ante omnia est videndum.

Atque Hermannus quidem et Prienius aliique viri docti quindecim distribuunt hoc carmen choreutis, recte sine dubio, si verum est quod Theodorus Bergk nuper statuit in praeclara illa quam de vita Sophoclis scripsit commentatione, nos huius fabulae alteram recensionem, fortasse ab Euphorione factam in manibus habere. In quam quidem sententiam quibus argumentis aliis sit vir doctissimus adductus ignoramus: quod vero extremam tragoediae partem inde a v. 932, in qua tres simul agant histriones, non ab ipso esse poeta profectam existimat, sed ab alio additam post Olymp. LXXXIV, Sophoclis illo Antigonam imitato, id nobis non satis certum videtur. De qua re equidem non ita hic disputabo, ut illam partem et necessariam esse doceam et vere Aeschylus compositam ingenio, illud dico, non videri iustam esse causam, cur de interpolatione hic cogitemus. Nam fabulam ipsam si spectamus, decretum illud quo sepeliri Polynicis corpus vetatur, aut vetere memoria proditum poetae tragici acceperunt, aut ipsorum hoc est inventum. Illud si statuimus, a nullo tamen auctore proditum, quam apte Aeschylus ea fama sit usus, statim commemorabimus: sin, quod potius veri simile est, tragici poetae alicuius hoc est inventum, non Sophocles, sed Aeschylus censendus est prior illud novasse. Nam Antigonae argumentum illo decreto nititur totum,

quod si est a Sophocle fictum, nihil fere in Antigona non est fictum. Ita vero non solent poetae agere, ut res ipsi comminiscantur, quibus ad fabulam quandam componendam utantur, sed notas illi res memoriaeque traditas tractant, eaque sola mutant, quae minus potuerint vel artis rationi, vel fabulae consilio accommodari. Itaque Aeschylus, praesertim quum unum tribus fabulis continuaret argumentum, quum alia multa est coactus novare, tum hic mutua fratrum caede finire fabulam non potuit: qua caede tametsi expletum videri universae trilogiae consilium possit, recteque concludi fabula verbis illis *καὶ δυοῖν κρατήσας ἔληξε δαίμων*, singularis tamen tertiae fabulae ratio postulabat, ut is qui per totam tragoediam tamquam patriae defensor et propugnator esset laudatus, ne eundem denique quem patriae hostis exitum haberet. Hoc igitur novavit Aeschylus, Polynicem ut humatione cives privarent solaque soror una cum paucis virginibus Thebanis sepeliret: quo invento egregie usus est Sophocles, ipse vero id ut novaret, nulla omnino ratio erat. Quod vero tres actores in sola extrema fabulae parte agunt, id argumentum equidem non eo modo diluerim quo G. Hermannus in Praefatione ad Euripidis Phoenissas, qui p. IX „Atque haud scio, inquit, an ipsis in Septem ad Thebas primum ausus sit duobus quibus tum utebantur actoribus adiungere tertium, quod quum alii auctores atque ipse Aristoteles ab Sophocle institutum tradiderunt, non videtur horum testimonio repugnare, si quod Aeschylus in extremis Septem ad Thebas necessitate coactus fecerat, ita suscepit Sophocles, ut eo pro legitimo uteretur.“ Immo tres esse adhibitos in illa parte actores negamus. Illo enim tempore uno utebatur Aeschylus actore, qui nuntii et praeconis partes egit, ipse Aeschylus Eteoclis et Antigona. Ismena pauca tantum canit, in diverbiis nullae eius sunt partes, itaque actore altero non erat opus. Et quamquam exspectari poterat, ut postquam se Polynicem esse humaturam Antigona est professa, Ismena quoque quid esset factura ostenderet, tamen mirum illa tenet silentium: quod mihi quidem quum docere videtur, non fuisse adhibitum ab Aeschylo tertium actorem, tum certo esse argumento, non esse hanc tragoediae partem ad Antigonae imitationem ab alio quodam additam. Sed etiam longius progredimur Ismenamque negamus omnino quidquam dicere, sed esse personam mutam, errorem vero eorum, qui utramque hic canere sororem statuerunt, eo repetendum, quod v. 839 Chorus et Antigonam et Ismenam nuntiat ad lessum habendum accedere. Et in libris quidem iam in illo carmine, quem *ὑμνον Ἐκτινός* ipse dicit Chorus, partes quaedam sororibus dantur, quod Bergkiius probat, mihi vero carminis illius

ratio admittere non videtur. Dum haec Chorus canit, acerbissimo oppressae et con-
fectae dolore tacitae adstant sorores, dum carmine finito in lugubrem erumpunt lamen-
tationem inde a v. 932. Hanc quod sola canit Antigona, nobis mirum possit videri,
illis quidem temporibus hoc, ut id genus alia multa, concedebatur arti tragicæ certis
finibus circumscriptæ. Quis enim hodie ferat Pyladem Orestî comitantem mutam per-
sonam? at Athenienses tulerunt Aeschylî Pyladem semel omnino hiscentem. Maius est
quod suam et singularem quandam detrahère venustatem huic carmini amœbaeo vide-
mur, si non sorori sororem statuimus, sed Chorum sororibus respondere. Ita enim
existimant interpretes, stantem ad Polynicis corpus Antigona, Ismenam ad Eteoclis
lugubres fundere querellas, ut Antigona natu maior eademque excelsiore prædita in-
dole ubique præeat, respondeat Ismena, illa maxime Polynicis, hæc Eteoclis doleat
casum. Qua ratione quum præclaram quandam ante oculos nostros constituent ima-
ginem, tamen ubi animum ad veritatem traduxeris et ad id quod rebus est accommo-
datum et personis, vanam esse reperies et falsam. Cur enim Polynicis maxime ca-
sum Antigona doleat? quæ si erat generosa virgo, patriæ hosti tantarumque auctori
calamitatum non succensebat mortuo, eumque eodem quo Eteoclem complectebatur amore,
præferre vero alteri alterum fratrem neque ipsam neque Ismenam decebat. Contra na-
turam hoc esset, ideoque ita institui ab Aeschylô non potuit. Neque esse institutum
ipsa carminis verba aperte docent. Nam ubi Antigona dicit *δορὶ δ' ἔκτανες*, Ismena re-
spondet *δορὶ δ' ἔθανες*, vel altera dicit *πρὸς φίλον ἔφθισο*, altera *καὶ φίλον ἔκτανες*, non
possunt hæc non de eodem dicta esse, qui quum interfecerit, ipse sit interfectus. Tota
deinde antistropha inde a v. 957 de uno Polynice utraque soror loquitur, quod et ar-
gumentum docet et ne ullus dubitationi relinquatur locus, quod ad sororis verba *σωθεὶς*
δὲ πνεῦμ' ἀπόλεσεν altera respondet *ἀπόλεσε δῆτα*, quod certe nemo dicet non esse ad
eundem fratrem referendum. Non est igitur verum quod vulgo existimant Antigona
Polynicis maxime casum dolere, Eteoclis Ismenam. Neque stare soror altera ad alte-
rum fratrem potest. Nam quum initio sorores se ad fratres convertant eosque allo-
quantur, idemque in epodo faciant, tamen in ea quam modo commemoravimus stropha
utraque soror de eodem Polynice tertia persona loquitur, quod ut ea possit, quæ Eteo-
clem maxime dolet, altera facere nullo modo potest. Denique non sororem respondere
sorori certo demonstrari argumento potest hoc, quod ubi sibi præ ceteris hanc cala-
mitatem accidisse dicit altera soror, *πρὸ πάντων δ' ἐμοί*, altera respondet *καὶ τὸ πρόσσω*

γ' ἐμοί, quod sororem nullo modo decet. His enim verbis si maiore malo se esse afflictam dicit, est id arrogantis, sin minore, animi vel indigni, vel caritatis erga fratres expertis. His igitur de causis et quod res ipsa hoc postulat, utramque sororem communi lamentatione fratres dolere putamus, verba facere solam Antigonom, respondere Chorum, totumque carmen in hunc modum esse emendandum:

προφῶς

A. παισθεὶς ἔπαισας.

X. κείσαι κατακιάς.

A. δορὶ δ' ἔκανες

X. δορὶ δ' ἔθανες

A. μελεόπονος.

935

X. μελοπαθής.

A. ἴτω γόος.

X. ἴτω δάκρυ.

στροφή

A. ἦέ.

X. ἦέ.

941

α A. ἧ μαίνεται γόοισι φρήν.

X. ἐντὸς δὲ καρδία στένει.

A. ἰὼ ἰὼ πάνδυρτε σύ.

X. σὺ δ' αἶτε καὶ πανάθλιε.

945

A. πρὸς φίλου ἔφθισο.

X. καὶ φίλον ἔκτανες.

A. διπλᾶ λέγειν

X. διπλᾶ δ' ὄραν

β A. ἄχεα δυοῖν τὰδ' ἐγγίθεν.

950

X. πέλας ἀδέλφ' ἀδελφεῶν.

A. ἰὼ Μοῖρα βαρυντότερα μογερά,

πότνια τ' Οἰδίπου σκιά,

955

μέλαιν' Ἐρινύς, ἧ μεγασθενής τις εἶ.

ἀντιστροφή

X. ἦέ.

A. ἦέ.

α X. ἧ δυσθέατα πήματα

A. εἰδείξαι' ἐκ φρυγᾶς ἐμοί.

X. οὐδ' ἴκεθ' ὡς κατέκτανεν.

960

- A. σωθεὶς δὲ πνεῦμ' ἀπόλεσεν.
 X. ἄλεσε δῆτα, ναί.
 A. τίνδε δ' ἐνόσφισεν.
 X. τάλαν γένος.
 A. τάλαν πάθος. 965
 β X. δίπονα κήδη σύννομα.
 A. λυγρὰ διπάλτων πημάτων.
 X. ἰὼ Μοῖρα βαρυνδότερα μογερά,
 970
 πότνια' τ' Οἰδίπου σκιά,
 μέλαιν' Ἐρινύς, ἧ μεγασθενής τις εἶ.
 ἐπφδός
 α' A. σύ τοί νιν οἶσθα διαπερῶν,
 X. σὺ δ' οἶδεν ὕστερος μαθῶν,
 A. ἐπεὶ κατῆλθες ἐς πῆλιν, 975
 X. δορός γε τῷδ' ἀντηρέτας.
 A. ὦ πόνος, ὦ κακά,
 X. δώμασι καὶ χθονὶ
 A. ὄλοα λέγειν,
 X. ὄλοα δ' ὄραῖν,
 γ A. πρὸ πάντων δ' ἐμοί.
 X. καὶ τὸ πρόσω γ' ἐμοί. 980
 A. ἰὼ, ἰὼ δυστάνων ἀρχαγέτα.
 X. ἰὼ, ἰὼ πάντως πολυπονωτάτων.
 A. ἰὼ, ἰὼ δαιμονῶντι' ἐν ἄτα. 985
 X. ἰὼ, ἰὼ πῆμα πατρὶ πάρευνον.
 A. ἰὼ, ἰὼ, ποῦ σφε θήσομεν χθονός;
 X. ἰὼ, ἰὼ, ποῦ 'στι τιμωτάτον;

Antigona, quam quum dico simul Ismenam intellegi volo, prius, ut par est, ad Eteoclis accedit corpus, Chorus in duo hemichoria est divisus, quorum alterum in eadem constitit parte, alterum cum coryphaeo propius ad Polynicis corpus. Ergo in proodo Eteoclem alloquitur Antigona, eundemque dicit hemichorium, quod in eadem parte constitutum Antigonae respondet. Proxima stropha lamentatio ipsa incipit, qua Eteoclem Antigona dolet, altera Chori pars respondet. Huius lamentationis ea est ratio, ut etiam alterius fratris mentio fiat propterea quod in extrema stropha commune duorum fratrum malum commemoratur. Itaque ubi Antigona dicit ἰὼ, ἰὼ πάνδουτε σί, Cho-

rus Polynicem, prope quem stat, alloquitur *σὺ δ' αἶτε καὶ πανάθλιε*. Eadem Chori pars in antistropha lamentatione praecit, id quod antistrophicorum ratio postulabat, sed quum eae sint Chori partes, ut Antigonaes voces suppleat aut confirmet, sententias spectanti etiam hac antistropha apparebit ita rem esse institutam a poeta, ut secundae sint Chori partes, veluti quum v. 962 dicit *ὄλεσε δῆτα, ναί*. Deinde quoniam in hac antistropha Polynices est lugendus et ad illum conversus Chorus dicit *ἢ δυσθέατα πῆματα*, Antigona quae eundem ad Eteoclis corpus etiam nunc locum tenet, nam etiam Chori erat eadem statio, tertia persona de Polynice loquitur, quam ut solet imitatur Chorus. Id ita esse docet versus 963 *τόνδε δ' ἐνόσφισεν*, hoc est, hunc Eteoclem. Post antistropham ad Polynicem accedunt sorores, itaque ad hunc conversa Antigona dicit *σὺ τοί νιν οἶσθα διαπερῶν*, respondet prior Chori pars, cuius in proodo partes fuerant, *σὺ δ' οὐδὲν ὕστερος μαθῶν*, eodemque modo *δορός γε τῷδ' ἀντηρέτας*, hoc est, huic Eteocli. Quae inde a versu 977 sequuntur, ad utrumque fratrem sunt referenda, et finita hac lamentatione v. 986 Antigona, quae iam discedere velit, ad Chorum conversa interrogat *ποῦ σφε θήσομεν χθονός*, qua interrogatione transitus paratur ad decretum senatus, quod nuntiat praeco, quo decreto quodammodo ad illam Antigonaes interrogationem respondetur. Hinc intellegitur quam inepte vulgo versus 988 positus sit, cui suum locum restituit Prienius. Addimus quod quamquam non pertinet ad hoc carmen, tamen coniunctum est cum ea quam instituimus quaestione. Quum enim de anapaestis, quibus fabula finitur, singulis Chori partibus distribuendis in diversas partes interpretes et veteres et recentiores abirent, G. Hermannus recte visus est Pauvius versus 1039 — 1051 *φεῦ, φεῦ-πίθοιτο* toti Choro, reliqua hemichoriis tribuisse: quod probari non potest. Apertum est verba *φεῦ, φεῦ, ὦ μέγανχοι καὶ φθερσιγενεῖς Κῆρες Ἐρινύες, αἶτ' Οἰδιπόδα γένος ὠλέσαστε πρέμνοθεν οὕτως, τί πάθω; τί δὲ δρῶ; τί δὲ μήσωμαι;* esse coryphaei, qui quum propius ad Polynicem constitutus sit, recte dicit:

*πῶς τολμήσω μήτε σὲ κλαίειν
μήτε προπέμπειν ἐπὶ τύμβῳ;
ἀλλὰ φοβοῦμαι κάποιρέπομαι
δεῖμα πολιτῶν.*

Sequuntur vero verba haec:

*σὺ γε μὴν πολλῶν πένθητῆρων
τεύξει· κείνος δ' ὁ τάλας ἄγοος*

μονόκλιαντον ἔχων θροῖνον ἀδελφῆς
 εἶσιν· τίς ἂν οὖν τὰ πίθοιτο;

quae non possunt eiusdem esse, qui modo allocutus est Polynicem πῶς τολμήσω μήτε σὲ κλαίειν, quum hic Eteoclem alloquatur σύ γε μὴν πολλῶν πενθητήρων τεύξει, Polynices autem ei sit ἐκείνος. Sequitur igitur coryphaei esse versus 1039 — 1047, proxima σύ γε μὴν — πίθοιτο alterius hemichorii. Idem quod orationis conformatio, ipsa sententia monstrat. Coryphaeus enim quamquam Polynicis casum dolet, civibus tamen obediendum esse censet: ἀλλὰ φοβοῦμαι κάποτρέπομαι δεῖμα πολιτῶν, quae verba sunt perorantis et denique sententiam dantis, ut idem continuare orationem ita nullo modo possit, ut iterum Polynicis sortem deploret. Extrema vero verba τίς ἂν οὖν τὰ πίθοιτο vel contrariam sententiam praebent eorum ἀλλὰ ὀποτρέπομαι δεῖμα πολιτῶν. Hermannus quidem scribit εἶσι· τίς οὖν ἂν τὰ πίθοιτο et interpretatur: „At metuo et aversor facere unde mihi cives timendi sint. Sane quidem tu a multis lugeberis: hunc autem nemo praeter sororem flebit: equis ergo ad eum una cum illa lugendum adducetur?“ Sed equidem me non satis perspicere fateor, quomodo τὰ hic significare possit „ad eum una cum illa lugendum,“ immo qui dicit „Eteoclem quidem multi lugebunt, miserum vero Polynicem praeter unam sororem nemo; quis igitur hic pareat?“ is mihi significare videtur, eiusmodi esse hoc decretum, ut haud facile quis obediat: quae est contraria sententia eius, quam coryphaeus modo protulerat. Itaque versus 1048—1051 alterius sunt hemichorii dubitantis an non sit obediendum illi decreto. Post haec verba pausa est statuenda, qua singuli huius hemichorii choreutae quidnam sit faciendum deliberant, qua deliberatione finita eiusdem hemichorii dux dicit δράτω τι πόλις, κιλ., coryphaeus contra se cum reliquis virginibus, id quod civitas praecipiat et ius, Eteoclem esse, virum de patria optime meritum prosecuturum. Denique etiam pauca addenda sunt de carmine illo quod supra emendatum exhibuimus. Cuius carminis stropharum par aliosque quosdam huius fabulae locos nuper emandavit Henricus Weil in Jahnni Annall. vol. LXXVII p. 230 sqq. qui quod emendationibus suis demonstrasse se arbitratur, etiam tot clarissimorum virorum curis pristinum Aeschyli nitorem nondum esse restitutum, illud sane demonstravit, etiam nunc posse de illis locis disputari, quamquam nonnulla ex eius inventis talia sunt, ut ne disputari quidem de iis possit, veluti quod ad versum 543 protulit, talemque versum θεῶν θελότων τόδ' ἂν ἀληθεύσαιμ' ἐγώ ab Aeschylo esse profectum sibi persuasit. Nos correctionibus nostris non id opinamur restituisse quod

Aeschylus posuit, sed quod pro librorum testimonio maximam habere probabilitatis speciem videatur. Singula hic nolumus pertractare, versu 950 vero, quem ita scriptum exhibet Mediceus *ἀχέων τοίων τὰδ' ἐγγύθεν*, G. Hermannus corrigendum censuit *ἄχσα δοιά τὰδ' ἐγγύθεν*, et *ἄχσα* quidem recte sine dubio, minus recte, ut nobis quidem videtur, *δοιά*, ita enim non apparet quomodo ortum sit illud *ἀχέων τοίων*. Quod nos dedimus, *δοῖον*, scriptum erat *δοιοῖον*, ut versu 896 *τοῖνδε δοιοῖον ἀνάκτιον*, quo deinde in *τοίων* converso etiam substantivi genetivus erat restituendus. Nominativi vero vestigium etiam nunc in libri Medicei margine servatum est, qui secundum G. Dindorfium habet: *ἀχέω ἤγουν θρηῖναι*, quod corripit Dindorfius quum correxit *ἀχέων: ἤγουν θρηῖων*. Aliter hoc legit Tycho Mommsenus: *ἀχέω ἤγουν θρηῖῶ*, eodemque modo recentior scholiasta qui dicit *εὐρηται δὲ καὶ ἐν παλαιῇ βιβλίῳ ἀχέω τὰδ' ἐγγύθεν*, *ἤγουν ἐκ τοῦ πλησίον ταῦτα θρηῖῶ*, cui tamen non credendum est *τοίων* omissum esse in vetere illo libro, quem scito ipsum esse nostrum Mediceum, sed quum *τοίων* cum illa scriptura *ἀχέω*, h. e. *θρηῖῶ* consociari non posset, id scholiasta omisit. Sed in Mediceo neque *θρηῖναι* exstat, neque *θρηῖῶ*, sed ut ego quamquam neque oculus neque auritus testis testor *θρηῖνοι*, et glossa illa legenda est *ἄχσα, ἤγουν θρηῖνοι*. Deinde v. 981 quum in Mediceo exstet *ἰὼ ἰὼ δυστάνων κακῶν ἀναξ*, in margine vero *εἰτεόκλεις ἀρχηγέτα*, facile apparet veram scripturam esse *ἰὼ, ἰὼ δυστάνων ἀρχαγέτα*, horum verborum autem interpretationem *κακῶν ἀναξ* 'Ετεόκλεις, falsam sane, nam *δυστάνων* est miserorum, *ἀρχαγέτα* autem non Eteocles, sed uterque frater. Ipsa vero haec interpretatio *ἀναξ* docet, non esse cum Prienio *ἀρχαγέται* scribendum, sed *ἀρχαγέτα* relinquendum. Proxima verba *ἰὼ πάντων πολυπονότατοι* aperte sunt corrupta, nam neque haec Antigoniae et Chori dicta inter se sunt apta et miseros dicere fratres hic iam nullus erat locus, quod supra iam factum est. Hic potius ubi malis afflictam esse domum et patriam, afflictas sorores et virgines Thebanas commemoratum est, recte Antigona pergit miserorum auctores dicere fratres, eiusdemque sententiae id esse debet quod Chorus respondet. Itaque scripsimus *ἰὼ ἰὼ πάντως πολυπονωτάτων*, ut Antigoniae dictum Chorus confirmet, ut idem fecerat v. 962 *ὄλεσε δῆτα*. Possis etiam *πάντως πολυπονωτάτω*, id ut sit „molestias exhibentes“, illud vero aptius et clarius est dictum. Dochmiorum formae neque hic sunt exaequatae, neque supra *πρὸ πάντων δ' ἐμοί* et *καὶ τὸ πρόσω γ' ἐμοί*, ubi quamquam corrigere possis *τὸ πρόσω δ' ἐμοί*, tamen potius abstinendum videtur a correctione.

Demonstrare voluimus non esse in Septem ad Thebas fabula sive ab Aeschylō

sive a correctore quodam adhibitum tertiarum partium actorem, quod ne tum quidem erit statuendum, ubi falsam esse quis docuerit nostram de hoc carmine Antigonae et Choro tribuendo disputationem. Eodem modo choreutarum quoque numerus is erit statuendus, qui illo tempore quo haec fabula docta est, usitatus erat. Utebatur autem Aeschylus Choro ex duodecim choreutis composito, quem numerum Sophoclem primum auxisse certis testimoniis constat. Quod tamen non est ita intellegendum, quasi in omnibus Aeschyli fabulis Chorus ex duodecim choreutis constiterit, sed ex quo Sophocles hoc novavit, omnes poetae non iam duodecim, sed quindecim choreutas a choregis accipiebant, ut in omnibus omnium poetarum tragoediis Chorus ex quindecim personis constaret: ut mirere Schneidewinum in Agamemmonis editione p. XLVIII ea probare, quibus et res ipsa refragetur et certa veterum grammaticorum testimonia, scholiastarum ad Aristophanis Equit. v. 586 et ad Aeschyli Eum. v. 585. De Septem ad Thebas fabula res est incerta, quae fabula acta sit Olymp. LXXVIII, 1, et Th. Bergkii quidem l. c. p. XXVI „Aeschyli Septem, inquit, cum anno post Sophoclis Triptolemum docti sint, censendum esset Sophoclem statim in prima fabula hoc novavisse; quod quidem parum veri simile est; quomodo enim homo novus et nondum spectatus haec, quae populi arbitrio administrabantur, potuerit perficere: Sophocles si propter vocis infirmitatem histrionem, qui ipsius ageret partes, impetravit, satis habuisse videtur.“ Quae quidem argumentatio nobis non satis probabilis videtur. Nam initio poetae tragici erat, non solum facere, sed etiam agere fabulam, ut qui alteri utri muneri impar esset, omnino de tragoediis scribendis non cogitaret. Sophocles igitur si statim ubi primum in certamen venit, histrionem ab archonte impetravit, aut commendatus erat, aut summa eius ingenii exspectatio excitata. Quam exspectationem postquam egregie Triptolemo acta comprobavit, cur tandem, si homini novo licuit novare, non licuerit proximo anno poetae iam comprobato? Quamquam minime certum est, Sophoclem statim cum primam fabulam doceret, primarum partium actore esse usum, omnino eorum quae novavit hoc primum fuisse, quod primo loco sane commemorat vitae scriptor: *παρ' Αισχύλου δὲ τὴν τραγῳδίαν ἔμαθε καὶ πολλὰ ἐκαινούργησεν ἐν τοῖς ἀγῶσι, πρῶτον μὲν καταλύσας τὴν ὑπόκρισιν τοῦ ποιητοῦ διὰ τὴν ἰδίαν μικροφωνίαν (πάσαι γὰρ καὶ ὁ ποιητὴς ὑπεκρίνετο αὐτός), καὶ τοὺς χορευτὰς ποιήσας ἀντὶ δώδεκα πεντεκαίδεκα, καὶ τὸν τρίτον ὑποκριτὴν ἐξευρών (vulgo ἐξεῦρεν).* Hic tenendum est non de eo esse sermonem, quod sibi soli impetraverit Sophocles, sed quod in certamine tragico novarit, *ἐκαινούργησεν ἐν τοῖς ἀγῶσι,*

eodemque spectat quod dicit *καταλύσας τὴν ὑπέκρισιν τοῦ ποιητοῦ*. Hoc prorsus incredibile est eius hominis causa esse novatum, qui ad artem cui impar esset accessit. Neque probo iudicium C. Beerii De histrionum numero apud Aristophanem p. 5, qui Sophoclem putat sibi vicarium actorem impetrare statim potuisse, tertium vero histrionem, quod multo hoc inventum gravius esset, nisi iam multis victoriis spectatum non potuisse. Quasi id hic agatur, artem si spectas utrum gravius fuerit, non hoc, utrum impetrari facilius potuerit. Archon vero homini novo Chorum petenti facilius sine dubio tertium histrionem quam vicarium concessisset, praesertim quum illo concesso ipsi arti, hoc commoditati consuleretur poetae, qui si parva erat voce, non debebat ad artem accedere, ad quam magna opus erat voce. Neque Sophoclem tam debili voce fuisse, inde intellegitur, quod Athenaeus narrat et vitae scriptor confirmat, in Thamyride et in Nausicaa primas ipsum poetam egisse partes. Itaque hoc certum videtur Sophoclem quum primas ageret fabulas, ipsum histrionis partes suscepisse, deinde, fortasse ut nimiam evitaret virium contentionem, illud impetrasse ut histrio in ipsius locum succederet. Quamquam, nisi magnopere fallor, commenticium hoc est quod de Sophoclis vocis infirmitate traditur: solent enim rebus novis et inventis eiusmodi causae externae adiungi. Contra veri simile est, posteaquam etiam tertio histrione addito exulta est ars tragica et consummata, Sophoclem denique et artis bono et poetarum dignitati ita consuluisse, ut non solum secundas tertiasque partes, sed etiam primas histrionibus tribueret efficeretque ut poetae tragici esset fabulam condere, agendi partes et Choro relinquerentur et histrionibus. Ea enim erat huius artis ratio, ut a parvis initiis profecta tamquam inclusis in ipsa seminibus etiam nulla accedente adventicia causa interiore quodam motu pedetentim et gradatim ad summam perveniret perfectionem. Itaque quod in Aeschylus vita traditur *ἐχρήσατο δ' ὑποκριτῆ πρώτον μὲν Κλεάνδρῳ, ἔπειτα καὶ δεύτερον αὐτῷ προσῆψε Μυνίσκον τὸν Χαλκιδέα*, non videtur ita esse interpretandum, ut Myniscum adiunxisse Aeschylus dicatur tum quum ipse se abdicavit ab histrionis munere, ut iam Cleandro primas, secundas Mynisco tribueret, sed ita hoc est intellegendum, ut tertiarum partium actore invento, quo Aeschylus in Orestia usus est, alterum, quo iam opus erat, histrionem Myniscum *τριταγωνιστῆν* adsciverit. Neque quod Suidas refert *οὗτος (Σοφοκλῆς) πρώτος τρισὼν ἐχρήσατο ὑποκριταῖς καὶ τῷ καλουμένῳ τριταγωνιστῇ*, cum Bergkio putaverim obscurius significari, Sophoclem non ipsum suas fabulas egisse, sed histrionibus semper usum esse: id enim ex verbis illis *καὶ τῷ*

καλουμένην τριταγωνιστήν extricari vix potest. Quae quidem verba inutilem repetitionem ne nobis quidem videntur continere, nam postquam primum dixit Sophoclem tribus esse usum actoribus, quid illud sit quod novarit ut pateat, explicationis causa addit τριταγωνιστήν Sophoclem invenisse, vel tertium ad duos, non quod item possit cogitari, duos ad unum addidisse. Ex illis vero verbis πρώτος τρισὶν ἐχρήσατο ὑποκριταῖς non efficitur, illo tempore quo tertium actorem addidit, non iam ipsum primas egisse: nam etiam si ipse histrionis munere fungebatur, tamen tribus utebatur histrionibus, eodemque modo Aristoteles quum dicit τὸ ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρώτος Αἰσχύλος ἤγαγε, uno esse usum Aeschylum, non duobus histrionibus significat. Hoc igitur quum non videatur postulasse Sophocles statim quum primum Chorum peteret ab archonte, ut histrio qui primas ageret partes sibi concederetur, illud facile potuit si non prima, at certe proxima commissione impetrare ut Chorus augetur. Nam ne parum credibile esse quis dicat postulante homine nondum spectato illud esse novatum, praesertim quum auctus Chorus maiori sumptui esset choregis: non ita egit Sophocles, sed ipso hoc tempore librum illum prosa oratione de Choro scripsit, quo Suidas narrat eum Thespidis et Choerili rationem impugnasse. Hoc igitur libro docuit commodiorem esse quindecim choreutarum Chorum, quam sententiam quum Aeschylo aliisque fortasse poetis probasset, his auctoribus iam Olymp. LXXVII, 4 illud ut novaretur ab archonte potuit impetrari. Nihil igitur obstare videtur, quominus in Aeschyli Septem ad Thebas fabula ex quindecim choreutis constituisse Chorum putemus, si ipsa huius fabulae ratio id commendare videtur, quod visum est Hermanno et Prienio. A quibus nos ita dissentimus, ut aliter esse dividendas illis quindecim personis singulas strophas existimemus, quod quibus rationibus adducti statuamus ut melius et commodius intellegatur, totum carmen hic ita exhibemus ut nobis legendum esse videtur, subiecta scripturae discrepantia libri Medicei, cuius tamen libri rasuras, correctiones, accentus aliaque id genus vitia hic quidem afferre inutile visum est.

ΧΟΡΟΤ

ἡ α

θρέομαι φοβερά μεγάλη ἄχη,
μεθίεται στρατὸς στρατιπέδον λιπών.

ἡ β

ῥεῖ πολὺς ὄδε λεὼς πρόδρομος ἱππότηας.

αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖσ',
ἄναδος σαφῆς ἔτυμος ἄγγελος.

ἡ γ'

γᾶς ἤδη δ' ἐμᾶς πεδί' ὀπλόκιντι ὠ-
σὶ χρίμπτει βοᾶν ποτιανάν, βρέμει δ'
ἀμαχέτου δίκαν ὕδατος ἑροτύπου.

85

ἡ δ'

ἰὼ ἰὼ θεοὶ θεαί τ', ὄρμενον
κακὸν ἀλεύσατε.

ἡ ε'

βοᾶ ὑπὲρ τειχέων·
ὁ λεύκασπις ὄρνυται λαὸς εὐ-
τρεπῆς ἐπὶ πτόλιν διώκων.

90

ἡ ε'

τίς ἄρα εὐσεται, τίς ἄρ' ἐπαρκέσει
θεῶν ἢ θεῶν;

ἡ ζ'

πότερα δῆτ' ἐγὼ ποτιπέσω βρέτη
— δαιμόνων;

93

93

ἡ η'

ἀκούει' ἢ οὐκ ἀκούει' ἀσπίδων κτύπον; σύσι. α' 96

ἡ θ'

πέπλων καὶ στεφάνων εἰ μὴ νῦν, πότ' ἀμ-
φι λιτάν' ἔξομεν;

97

98

ἡ ι'

μάκαρες εὐεδροὶ, ἀκμάζει βρετέων
ἔχεσθαι. τί μέλλομεν ἀγαστόνοι;

94

95

ἡ ια'

κτύπον δέδορκα· πάταγος οὐχ ἐνόσ δορός. ἀντισύσι. α' 99

ἡ ιβ'

τί ῥέξεις; προδώσεις γὰν τὰν τεῶν,
παλαίχθων Ἄρης;

100

83. 84 ἑλεδέμασ πεδιοπλοκτύποσ τι χρίμπτεται βοᾶι ποτᾶται 86 ἰὼ ἰὼ ἰὼ ὄρόμενον 88 βοᾶι
94. 95 post 93 positi 97 πότ' εἰ μὴ νῦν 94 ἰὼ μάκαρες 100 προδώσεις παλαίχθων ἄρης
τὰν τεῶν

ἡ ιγ'
 ἰὼ χρυσοπήληξ ἐπιδ', ἐπίδῃ, δαι-
 μον, πόλιν ἂν ποτ' εὐφιλήταν ἔθου.

ἡ ιδ'
 Θεοὶ πολιόχοι χθονὸς, ἔτ', ἕτε πάντως, σύστ. β'
 ἴδσθε παρθένων ἰέσιον λόχον 105
 δουλοσύνας ὑπερ.

ἡ ιε'
 κῆμα περὶ πτόλιν δοχμολογᾶν ἀνδρῶν ἀντισύστ. β'
 καχλάζει πνοαῖς.....
 Ἄρρεος ἔρμενον.

ΧΟΡΟΤ

ἡ α'
 ἰὼ ἀλλὰ Ζεῦ, πάτερ παντελής, στρ. α' 110
 πάντως ἄρηξον δαΐων ἄλωσιν.

ἡ β'
 Ἄργειοι δὲ πάλισμα Κάδμου
 κυκλοῦνται φόβοις ἀρῆων ὅπλων·
 διὰ δὲ τοι γενειάδων ἱππίων
 κινίρονται φόνον χαλινοί. 115

ἡ γ'
 ἐπὶ δ' ἀγάνορες πρόποντες στρατοῦ
 δορυσσοῖς σάγαις πύλαις ἐπὶ ἑμαῖς
 προσίστανται πάφ λαχόντες.

ἡ δ'
 Διογενὲς σὺ τ' ὦ φιλόμαχον κράτος, μεσφδός 120
 ὄνσιπτολις γενοῦ, Παλλάς, ὃ θ' ἱππίος
 ποντομέδων ἄναξ
 μαχανᾶ ἰχθυβόλω, Ποσειδᾶν,
 ἐπίλυσιν φόβων, ἐπίλυσιν δίδου.

ἡ ε'
 σὺ τ', Ἄρης, φεῦ φεῦ, Κάδμου πῶννμον ἀνι. α' 125

102 ὦ χρ. δαῖμον ἐπιδ' 104 ἔθ' ἕτε πάντες 107 κῆμα γὰρ δοχμολόγων 109 ὁρόμενον
 110 ἀλλ' ὦ ξεῦ σὶνε ἰὼ 113 φόβος δ' ἀρῆτων 114 διαδέτοι γενύων ἱππέων 116 ἀγήνορες
 117 δορυσσοῖς σ. π. ἐβδόμαις 120 σὺ τ' ὦ διογενὲς 121 ὄνσιπτολις 123 ἰχθυβέλοι μα-
 βου
 χανᾶ 124 φόνων 125 ἐπῶννμον κάδμου

πίλιν φύλαξον κήδεσαι τ' ἐναργῶς.

ἦ ε'

καὶ Κύπρις, ἄτε γένους προμάτωρ,
ἄλευσον· σέθεν γὰρ ἔξ αἵματος
γεγόναμεν, θεοκλύτοισιν λιταῖς σ'
ἀντοῦσαι πελαζόμεσθα.

130

ἦ ζ'

καὶ σὺ, Λύκει' ἄναξ, Λύκειος γενοῦ
στρατῶ δαΐφ στόνων ἀπύα,
σύ τ', ὦ Λατωῖς, εὖ τυχάξου.

ἦ η'

ξ ξ ξ ξ,

σιγ. β' 135

ἄτοβον ἑομάτων ἀμφὶ πόλιν κλύω.

ἦ θ'

ὦ πότνι' Ἥρα,
ἔλακον ἀξόνων βριθομένων χνόαι.

ἦ ι'

Ἄρτεμι φίλα,

δοριτίνακτος αἰθῆρ ἐπιμαίνεται.

140

τί πόλις ἄμμι πάσχει; τί γενήσεται;

ποῖ δ' ἔτι τέλος ἐπάγει θεός;

ἦ ια'

ξ ξ ξ ξ,

ἀντ. β'

ἀκροβόλων ἐπάλξεων λιθάς ἔρχεται.

ἦ ιβ'

ὦ φίλ' Ἀπολλον,

145

κόναβος ἐν πύλαις χαλκοδέτων σακέων.

ἦ ιγ'

ἄ' στυ Λιόθεν

πολεμόκραντον ἄγνόν τέλος ἐν μάχῃ,

σύ γε, μάκαιρ' ἄνασσ' Ὀγκα ὑπὲρ πόλεως,

ἐπιάπυλον ἔδος ἐπιρρῶν.

150

128 σέθεν ἔξ 129 λιταῖς σε θεοκλύτοις 130 ἀπύουσαι 132 στόνων ἀπύα 133 σύ τ' ὦ
λατογένεια κοῦρα τόξον ἐντυκάξου ἄρτεμι φίλα 137 πότνια 139 φίλα. ξ ξ ξ ξ 140 δὲ
αἰθῆρ 144 δ' ἐπάλξεων 147 καὶ διόθεν 148. 149 ἐν μάχαισι τε μάκαιρ' ἄνασσ' Ὀγκα
πρὸ πόλεως

ἢ ἰδ'

ὠὸ παναρκεῖς θεοί,
ὠὸ τέλειοι τέλειαι τε γᾶς
τᾶσδε πυργοφύλακες,
πόλιν δορίπονον μὴ προδῶθ'
ἔτεροφώνῳ στρατῷ·
κλέετε παρθένων, κλέετε πανδίκως
χειροτόνοισι λιτάς.

στρ. γ'

155

ἢ ἰε'

ὠὸ φίλοι δαίμονες,
λυτήριοι τ' ἀμφιβάντες πόλιν,
δείξαθ' ὡς φιλοπόλεις,
μέλεσθε δ' ἱερῶν δημίων,
μελόμενοι δ' ἔλθετε·
φιλοθύτων δέ τοι πόλεος ὀργίων
μνήστορες ἔστε μοι.

ἀντιστρ. γ'

160

Totum hoc carmen divisum est in duas partes, quarum priore usque ad versum 109 virgines imminens periculum describunt et in summo pavore se ad deos precibus quasi tumultuariis convertunt, altera vero inde a versu 110 singulos omnes deos deasque urbis custodes ordine implorant. Accedit etiam numerorum diversitas. Nam quum prioris partis strophae fere ex dochmiis constant, inde a versu 110 ubi iam paululum remisit nimia virginum perturbatio, artificiosius coniunctis diversi generis numeris compositae sunt strophae accuratissime antistrophis respondententes. Sed in ipsa hac diversitate tamen insignis quaedam est utriusque partis aequalitas, quam ut fortuitam esse credamus adduci nullo modo possumus. Et primum quidem de altera parte videamus quae aperte est antistrophica et minus quam prior corrupta. Hanc non esse a toto Choro cantatam, sed a singulis choreutis argumenta docent singulorum dictorum ita simul et numeris et orationis conformatione distinctorum, ut de eorum ambitu dubitari non possit. Sunt autem omnino quindecim dicta, et quum prima duo stropharum paria ex ternis partibus constant, ergo a duodecim choreutis cantentur, ultimum vero stropharum par duo dicta contineat, unum mesodus, veri simile est, mesodum quae inter primam stropham et antistropham posita est, a coryphaeo, ultimam stropham et antistropham a παραστάταις esse cantatam. Omnes igitur quindecim choreutae in hac

152 τᾶσδέ γε 155 πανδίκως 158 λυτήριοι ἀμφιβάντες 160 μελόμενοι δ' ἀρήξαις

parte loquuntur, quorum quum impar sit numerus, cur mesodum interposuerit poeta apparet. Deinde huius partis tria membra discernuntur, quorum primum inde a v. 110 usque ad v. 134 septem virginum dicta continet, quibus invocantur Iupiter, Minerva et Neptunus, Mars, Venus, denique Apollo et Diana, quorum deorum simulacra in hyposcenio posita erant. Hae preces subito audito armorum strepitu interrumpuntur, alterumque membrum sequitur a v. 135 usque ad v. 150 ex strophā tripartita et antistrophā constans, ut sex virgines loquantur, quarum ultima Minervam Oncam, urbis praesidem ad custodiendas Thebas invocat et ita transitum parat ad tertium membrum, vel ultimum stropharum par, quo qui etiam relictī sunt duo choreutae precibus ad omnes deos, urbis custodes se convertunt. Ita tria habemus membra, tria stropharum paria, quorum primo singuli dii invocantur a duobus ζυγοῖς, altero percelluntur repentino terrore iterum duo iuga, tertio omnes dii invocantur a duobus ultimi iugi choreutis, cuius iugi tertius choreuta mesodum cecinerat.

Haec nostra de huius partis conformatione sententia quum tota videtur carminis ipsius ratione commendari, tum egregie confirmatur ea quam supra commemoravimus summa utriusque partis aequalitate. Nam etiam prior pars ex tribus constat membris quae et argumento et dictionum inter singulos choreutas distributione mirum in modum cum illis consentiunt. Itaque hic quoque omnes quindecim Chori personae loquuntur, et septem quidem priores in primo membro vs. 78—93, quod versibus 110—134 respondet ab iisdem septem virginibus cantatis. Et initio quidem dii invocari non poterant, sed ante erat de periculo impendente exponendum, quod faciunt tres primae virgines. Tamen etiam sic in dissimili argumento aequalitatem quandam assecutus est poeta, qui in altera parte primam virginem sane inducit Iovem invocantem, sed, quamquam antistrophae ratio aliud suadere videbatur, alteram et tertiam de hostium exercitu exponentem, ut etiam argumento ea consentiant quae in utraque parte ab altera et tertia, quaeque a sexta et septima virgine dicuntur. Et quum diversi argumenti essent quintae virginis dicta, tamen poeta similes utroque loco posuit numeros:

ὁ λεύκασπις ὄρνυται λαὸς εὐ-
κρεπίης ἐπὶ πόλιν διώκων.

et

σύ τ', Ἄρης, φεῦ φεῦ, Κάδμον ἰώνυμον
πόλιν φύλαξον κήδεσσι τ' ἐναργῶς.

ob eamque causam non puto v. 90 librorum scripturam esse mutandam ut numerus dochmiacus restituatur. Contra eandem sententiam poeta tribuit utroque loco quartae virgini, quae hic ut argumenti ratio postulabat, generatim dicit *ὦ ὦ θεοὶ θεαί τε*, in altera parte certos deos, sed tamen deum et deam, Minervam et Neptunum invocat, hic precatur *ὄρμενον κακὸν ἀλεύσατε*, illic *φόβων ἐπίλυσιν δίδου*. Denique si vera est nostra emendatio v. 83 *γᾶς ἤδη δ' ἐμαῖς* et v. 117 *πύλαις ἐπι' ἐμαῖς*, eadem tertia virgo ut in priora parte suam terram, sic in altera suas dicit portas. Itaque ut in altera parte, sic hic prima tria dicta unī iugo sunt tribuenda, alteri quintum, sextum, septimum; de antistrophica ratione non est cogitandum, quae neque apta esset in tanta animorum perturbatione, neque satis recte argumento accommodanda. Egregie vero ita hoc instituit poeta, ut quum prima rem ipsam terribilem, hostium adventum exanimata nuntiasset, duae virgines quibus illud intellexeretur signis addidissent, tum quarta se ad deos converteret: deinde vero una de exercitu diceret, duae de diis invocandis cogitarent: quare huic rationi accommodavit poeta numeros et secundum ac tertium, ut sextum ac septimum dictum exaequavit, ut non recte in libris scriptum sit *πότῃρα δῆτ' ἐγὼ ποιπέσω βρέτη δαιμόνων*, sed iambus ante *δαιμόνων* exciderit, quae etiam Dindorfii est sententia qui „Aeschylus, inquit, nisi magnopere fallor, scripserat *πότῃρα δῆτ' ἐγὼ ποιπέσω βρέτη τίμια δαιμόνων*.“ Non est hoc tam certum, aliaque multa cogitari possunt, potest quod Hermannus coniecerat, potest *χθονός*, potest *πόλεως*, potest *χθόνια*, potest *πάτρια*, ut scholiasta explicat *τῶν πατρῶων ξοάνων*, potest quod nobis placet *τίνων δαιμόνων*.

Sequitur alterum membrum inde a versu 94 usque ad versum 103, ex quo utriusque partis aequalitas etiam clarius apparet. Verissima est autem Prienii emendatio, qui versus illos *μάκαρες εἵδηροι — ἀγαστονοί*, qui in libris post versum 93 ponuntur, bene perspexit post illud dictum *πέπλων καὶ στεφάνων — ἔξομεν* esse ponendos. Iam quod in altera parte vidimus deorum invocationem armorum strepitu oborto subito interrumpi, idem hic deprehendimus, et ut ibi sex virginum dicta in unam stropham erant et antistropham redacta, sic hic totidem dicta eadem responsionis lege sunt exaequata. Quum enim iam in eo sint virgines, ut se ad deorum simulacra convertant, subito terrore concitata dicit octava virgo:

ἀκούει' ἢ οὐκ ἀκούει' ἀσπίδων χτύπον;
eodemque modo eadem virgo in altera parte

ἔ ἔ ἔ ἔ,

ἄτοβον ἀρμάτων ἀμφι πόλιν κλύω

et undecima in priore parte

κίπτον δέδορκα πάταγος οὐχ ἐνὸς δορός

eademque in altera

ἔ ἔ ἔ ἔ

ἄκροβόλων ἐπάλξεων λιτάς ἔχεται

in quo non est praetermittendum utroque loco orationem quamquam diversis numeris eundem tamen accipere colorem. Nam quum initio virgines uterentur numero dochmiaco, ad novam et subitam animorum perturbationem depingendam alio et prorsus diverso opus erat numerorum genere, quare iambico trimetro utitur octava virgo: contra in altera parte ubi sedatiore animo strophas artificiosas Chorus fundit, subitae perturbationi aptissime adhibuit dochmiacum dimetrum, quo se relabi ad priorem animi concitationem ostendit. Denique virgines summo pavore percussae ad preces se convertunt, qua in re quantopere hae duae partes consentiant ac conspirent eo cognoscitur, quod utroque loco deus urbis praeses invocatur, in priore parte Mars, in altera Minerva Onca, simileque est utrumque virginis decimae tertiae dictum, hic

ὠὸ χροσοπήλῃς ἐπιδ' ἐπιθε δαῖ-
μον πόλιν ἔν ποτ' εὐφιλήταν ἔθου

illie

σὺ γε μάκαιρ' ἄνασσ' Ὀγκα ἔπερ πόλεως,
ἐπιάνυλον ἔδος ἐπιρροῦν.

Hac prece transitus paratur ad omnes deos, urbis custodes invocandos, ad tertium membrum vs. 104 — 109, quo duarum virginum continentur dicta, quibus non minus clare cernitur quaesita utriusque loci aequalitas, quum non solum post unius dei praesidis invocationem ad omnes se deos convertant utroque loco virgines, sed etiam simillima sit utrimque virginis decimae quartae oratio, hic:

ἴδετε παρθένων ἱκέσιον λόγον
δουλοσύνας ὑπερ

illie

κλύετε παρθένων, κλύετε πανδίκως
χειροτόνους λιτάς.

Et quum a stropharum similitudine quadam deinde ad antistrophicam responsionem altero membro tertium et quartum iugum transierit, hic quoque consentaneum est

ultimarum virginum dicta ut in altera carminis parte antistrophica esse, ut v. 108 unum dochmium excidisse statuendum sit. Quod vero decima quinta virgo non item deos invocat, propterea factum est, quod imminentis periculi commemoratione transitus ad proximam singulorum deorum invocationem parandus erat.

Hanc nostram de huius carminis compositione sententiam breviter iam in *Musei Rhenani* vol. XI p. 154 significatam hic accuratius exposuimus, ut qua in re recedamus a Prienii ratione quibusque argumentis permoti appareat. Et hoc quidem pervicit Prienius ut concederemus, carmen iam inde a versu 94 antistrophicum esse, quamquam tenendum est, quum illa prioris partis dicta ex pluribus dochmiis constant neque admixtis aliis numeris in artificiosarum formarum stropharum sint redacta, aliquantum differre hanc numerorum aequalitatem a diligentissima illa quam inde a versu 110 deprehendimus numerorum responsione, ut illic singuli dochmii numerati potius sint, quam singulae formae exaequatae. Eidem tamen Prienio etiam primam partem esse antistrophicam versusque 104 — 109 oppositos versibus 120 — 124 quamvis speciose demonstranti tamen ob eam quam nobis videmur deprehendisse duarum huius carminis partium aequalitatem ut assentiamur adduci non possumus.



Einzelne Exemplare dieser Art sind in allen Ländern
häufig zu finden. In den Alpenländern sind sie
besonders zahlreich. In den Gebirgsgegenden
sind sie häufig zu finden. In den Gebirgsgegenden
sind sie häufig zu finden.

In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.

In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.

In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.

In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.

In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.

In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.

In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.
In den Gebirgsgegenden sind sie häufig zu finden.